


Questo libro composto di libretti
trentanove ha un gran valore.
Il suo piu gran pregio consiste nella
lettera di Cristoforo Colombo in lingua
Spagnola.



ORATIO DOMICI PAL/ LADII SORANI DE ASSVMPTIO/ NE VIR/ GINIS



In laudem Gloriosissimæ Mariæ Virginis
Carmen Domici Palladii Sorani.

u Irgo salus mundi / genitrix & sponsa tonantis
Sume preces oro uirgo beata meas.
Itur ad Aethereas per te sanctissima sedes
Filia/uirgo/parens/sponsa uocata Dei.
Nauita securus per te citat æquore puppim:
Tutus iter per te Virgo uiator habet.
Portus es afflictis / & spes mortalibus una:
Ad te confugiunt tutius omne genus.
Omnis ab humano refugit mala sanguine pestis:
Dira fames per te / febris & atra lues.
Alma fides superest / parthorꝫ feruor in armis
Nullus erit per te / te duce nullus erit.
Viuitur in tuto:per te fera bella fugantur/
Et per te læta pace quiescit humus.
Et licet Ardalidum uariet pater undiqꝫ cantus:
Tu mihi pro phœbo / proqꝫ deabus ades.
Ire opus ad ualles non est heliconis amœnas:
Dulce potes nobis / & dare grande sophos.
Ad tua templa ferant modo turba canora libellos:
Excipe / quæ possum / hæc ad tua templa fero.

FINIS.

antonius mauroceno
[redacted] barbaro
bortolameus [illegible]
petrus gritta
[redacted]
[redacted]
[redacted] [illegible]
franciscus gritti
franciscus de zatasa

Domicus Palladius Soranus Reuerendo Dño Patri Archan/
gelo Cremasco totius ordinis Cruciferoꝝ Gene/
rali Magistro/ perpetuo Antistiti uiro optimo
ac sapientissimo fœlicitatem.



On uides sapientissime Antistes quonã pacto
& recte & iuste laudari unquã illi possint/aut
amari/ quos ad se admodum pronos reꝝ tra/
hit cupiditas:neq uero desistis & illos acriter
detestari abominariq qui fœlicitatem in ma/
gna diuitiarum/opumq affluentia inesse lon/
ge pertinaciter asseuerant: contenduntq pro
palam ac inuerecunde solum esse bonum cor
porea sordescere & onerari eluuie. Hos omnes profecto nihil ha/
bere pensi:nihil boni cõsulere tum ingenue fateris/tum rationibus
id ostẽdere maxime adniteris. Perbelle quidem huiuscemodi mor/
tales decipiuntur/& deceptos (ueluti unicuiq ex sacra patet fide)
præcipites se adigunt. Humanæ nãq res uices habent/ ac demum
ad tempus in nihilum defluunt. Ob id itaq in momentaneis & ca/
ducis rebus ipsam tranquillitatem serenitatẽq mentis (quod præ/
cipuum in humanis exoptandum est) quandoq uix delibamus.
Nullam equidem (ut breuiter astringam) neq diurnam quietem/
neq lætam sortimur fœlicitatem. Qui uero (quẽadmodum tu
Præsul Sapientissime sentis & coram omnibus perquã luculenter
exponis) animum excolunt/ qui mentem exercent:qui aliquid tum
ægregii/ tum pii suscipiunt operis:ut illustri postmodum et sempi/
terna fruantur uita:Illi proculdubio ueram tranquillitatem/uerum
etiam non interpollatum uitæ statum bene oportuneq sibi & uen/
dicant & ex sententia degunt. Aduertens igitur ego hæc omnia
quæ continue non modo aliis oppido ꝗ scite et perite præcipis
obeunda: sed summa etiam uoluntate ac impensissime ipse studes
obire/ Ita facile adducor/ ut ab omni rerum aliarum cura & soli/
citudine me haud inuitum subtraham/ & tibi astipuler/ atq totum
me partim diuinæ contemplationi/partim mei ipsius cognitioni
dedam sit omnino necesse. Quamobrem quænam potissimum in
uita sequenda/ quæ ue expuenda/proiiciendaq sint non aut temere
aut subobscure intelligo. Ididem excipiunt omnes tui religiosi/
qui ad tuos tum accuratissime/tum prudentissime uiuunt mores.

Illud etenim est platonicum diuinitus expromptũ. Quales principes/tales solere esse ciues. Nec enimuero tam qui ætate sunt prouectiori q̃ iuuenes q̃ adolescentes te suspiciunt:te imitantur:& in tuis optimis insistunt uestigiis:& qui ad te magis ac magis accedunt/ut uehementius flagrantiusq̧ cæteris relinquatur studiũ/illos reddere ꝑmeritos operã intendis. Quare quũ pauculos ante dies tuus nepos mihi discipulus Frater Hieronymus Brixianus præstãtia laudatissimæ in dolis æque ac ingenii adolescens in laudem Virginis orationem publice habuerit/ut qui acutissimi sunt/igniculo alicuius laudis conciti longe acutiores illi & ardentiores fiant in dies: Hãc ipsam orationẽ (q̃q̃ aliis atq̧ aliis ex meis familiaribus ad hoc studiose cohortãtibus) in apertum proferri uolui:nõ quod summa inde ad me reportetur laus:non quod tibi pronius gratificari uidear:sed ut qui mihi nauiter dant operã (sicuti dixi) multo magis ad litterarꝫ studia non ueluti præmii laudis incerti aut dubii trahãtur: & quã induerint inertiam & secordiam tanq̃ uitiorꝫ altricem penitus deponendam omnes statim facile cognoscãt. Bene uale Decus meum:& Cruciferæ Religionis lumen.

FINIS.

ORATIO DOMICI PALLADII SORANI DE ASSVMPTIONE VIRGINIS MARIAE.

Vre optimo exultandum/ Clarissimi uiri ac saluam
rem esse quantum augurari licet coniectura in hoc
i tam fælici/tam fausto & solēni die(uti in ueteri ada
gio est)saltante sene dicere possumus. Nihil namq;
omissum est/nihil tandem relictū/nihil omittetur ni/
hil omnino relinquetur quod ad celebrationem ad
festiuitatem ac totius festi diei lætitiam/in honorē & laudem & de/
cus illius uirginis per quam salus animarum exorta est/per quam
fragilitas reconciliata pertineat. Et si reipu. christianæ atrocissimus
aliqua ex orbis parte ingruit hostis/ tamen nihil est reformidan/
dum unq̄/nihil expauescendum. Nam mortalibus tantum inesse de
bet curæ/tantum sollicitudinis/tantum indies uehementioris appe/
titus & uoti ut sibi per continuas preces/per orationes non inter/
missas/summi regis nostri genitricem concilient/trahantq;/& ferme
omnia officia/ tum quæ humana dicuntur/tū quæ diuina aut aliqua
ex parte diuina eius uoluntati suggerant. Accedo itaq; haud inui/
tus tametsi & ætas & rerum pondus/ac ipsius loci dignitas/non so/
lum me qui nuper ad dicendi militiam exiui/& quasi tyrunculus ui/
dere mihi uideor perterrere aut ad timorem ac animi consternatio/
nem debeāt traducere:sed quemuis alium ex eminēti hominum cæ
tu maxime concuterent/ Carptim ad expromenda quæ possunt ad
huius diei solēnitatē spectare. Vellē enimuero diuinitus aut mihi in
esset illa pytho perichlis aut suauitas maior dicendi: sed qua sum
gratia prædictus quoue ingenio/qua linguæ dexteritate qua deniq;
dicendi arte sum institutus ea omnia ex me non tanq̄ remota / uerū
nouo uel potius puerili & quasi exotico dicendi genere audientur
& audiendo(ni spes aut opinio animū frustratur)libenti uobis ex/
cipientur applausu. Tot enim uno eodemq; tempore de ipsius ter/
ræ/maris/cœliq; reginæ assumptione/quæ profecto sunt non modo
humana facundia sed ore admodum diuino cōnumerāda (ut alias
contigisse monumentis traditum est)in mentem ueniunt & quasi ca
teruatim conglumerantur. Quicq̄ ne mihi laudis fore an indecoris
tantum audere sum propemodum prorsus nescius. Verum non alie
num est/fideli nec uideri potest christiano quātū aut naturæ uis aut
ipsa eloquentia quantumlibet puerilis aut quæ modo pullulat & in

cipit existere præstare potest: Illud ipsum ĩ ea quæ semper dicenda sunt non magis q̃ auribus haurienda conuertere haud dubie decere. Idq̃ maxime ad quod sentio me compulit/& ita cõpulsus totus ardeo auiditate dicendi/quæ nec possum/nec unq̃ posse ingenue confiterer: quum omnes ad unum Apostoli diuinam habuerint concionem/diuinis extulerint laudibus/diuinitus in unum collecti pientissimum nostrum redemptorem non absq̃ maxima uirginis eius genitricis & sponsæ cõmemoratione: utrunq̃ enim abunde/ nec satis abunde laudibus ornarunt/decoraruntq̃. Dubium uideri potest nemini/fidem obnixissime coluerunt/sanctitatẽ ĩtegerrime obseruarũt/ religionẽ ĩtemeratã tũ studiosissime/tũ laboriosissime auxerũt: recte itaq̃ de reb⁹ humãis senserũt. In q̃bus (ut ille ait) Nulla existit beatitudo nulla fœlicitas p̃manet. Quẽuis igit̃ hoĩum adeo ĩeptũ/adeo stolidũ/& improbum/uel summe ingenio obtusum/ut quod referendum est/& audiendo fide excipiendum non ad incredibilem/ & insolitam traderet admirationẽ? Rarum enim est inuentu/ rarum itaq̃ & auditu. Iccirco in hoc totis incumbendum est sensibus. Etenim anteq̃ alta accederet nox ille qui tot pro humano genere contumelias pertulit: qui uerbera & supplicia perpersus est sæuissima: qui mortem ignominiose oppetiit/cum omni angelorum concursu in cubiculum uirginis Mariæ descendit/ibi uocum concentus exercuerũt/ ibi cantus dulcissimi auditi sunt/ibi primus ipse Deus & filius hoc pacto prorupit in uocem. Veni electa mea/& ponam in te thronum meum quia concupiui speciem tuam. Ac quidem illi quibus comitatus fuerat Christus omnipotens in medium ita uerba protulerunt mirifica. Hæc est quæ nesciuit thorum in delicto/ habebit fructum in respectione animarum sanctarum. Omnia enimuero diuinitatis sunt admodum referta. Omnia fide maxima digna. O uirginitatis flos unicus. O unica matris pietas ac sanctitas. O sola spõsæ charitas. O uirtutum omnium maximum & fragrantissimum uasarium. Tu in terra sola cælum meruisti. Tu postmodum gloriosissime ĩ cælo collocata es. Tametsi aliquandiu dolor oppresserat animum uirginis/ dum uitam acerbissime propagabat/ præ desyderio optatissimi eius nati nostri summi/optimi/ maximi regis in æthere, am post obitum sedem relati: Attamen huic incommodo huic animi molestiæ huic mentis langori iugiter totum decoquenti corpus per almum nuncium fuit perq̃ oportune consultum. Ille præcipiti/ ac fælicissimo delapsu ad uirginem uenit/tunc temporis officiosissi-

me/facta iam claritate immensa/mirum immodum exultansad pe/des uirginis constitit hæc dicens. Ecce ad te uenio afferens a paradiso palmæ ramum quem ipsa imperabis ante feretrum præferri. His auditis ex templo omnem dolorem animo conceptum/omnem mentis ægritudinem/omnes lachrymas ubertim exortas ĩ exultationẽ/in maximam gaudii exuberãtiam effudit. Inde quod subsecutum ẽ/multo ac multo admirabilius uideri proculdubio potest/& quod facile optimum quemq́/aut optimis institutum moribus ad omnem uitæ cursum innocentissime peragendum/& sub beatissimæ genitricis fauorẽ præsidium gratiam ducere satis esset. Res equidem est nec temere credenda/immo tota complexanda fide. Post tertiam lucem uirgo sanctissima nostra salus/solumq́ refugium uitam cum uita commutauit. Quum corpus illud totius diuinitatis capax/ totius lucis receptaculum ab apostolis efferebatur/in altis abditi nubibus angeli dulcissime precinuerunt. At qui quod obiter mihi occurrit fugere debet neminem/ imo nec admirari tantam totius uniuersi reginam morti obnoxiam /a mortis autem retinaculis nunq̃ neq́ retẽtam neq́ coarctam. Quam q̃ uideri hoc potest alicui subobscurum/sed ita est/nec supra fidem/nec a ueriori uero unq̃ recedere oportoret. Quod de angelorum pauloante diximus hoc uno uel maxime miraculo satis constat. Quum ita tam suauiter uoces per aera diuinæ uagarent/& ita profunde dormientium iudeorum ad aures penetrarent/ut a somno excitati extra tecta confugerent. Inde egressi diligenter quæsierunt/unde illi uocum concentus: re tota percepta ad arma confugerunt/pararuntq́ omnino & apostolos omnes perdere/& illud corpusculum/ubi creator omnium consedit ad tempus igne subito delere. Et ad hoc sacerdotũ antistes stupore correpť/totus ira conflatus hæc inqt indignatiõe etiam maxima cõmotus/En illius tabernaculum qui &nos peruerterat/& nostram labefactauerat progeniem? Quam modo gloriam comparabit? Et his dictis manus in capulum coniiecit/ut ad terram una cum corpore sanctissimo deuolueret. Manus illic aridæ torpuerunt/& quasi abscissæ remanserunt. Non secus bonorum omnium iudicio/& illorum qui sacras obcallent litteras/cæteris cunctis multo atrocius eueniet/ qui fidem Christi omnipotentis totis uiribus in nihilum redigere conantur. Et illud sanctissimum nomen non modo abominantur detestantur ue/sed etiam oblitterare ac extinguere obnixissime

ftudent. Nihil meditantes quid cæli poſſunt/quid ſydera minantur/ quid deus ipſe ſceleſtis ac prophanis pollicetur. Hoc unum eſt maxime aduertendum hoc unum in animis fixum conſeruandum ꝙ tãdem fælicitates illuc humanæ defluant ubi præſto eſt optima rerũ fides per quã uita fit illuſtris per quam ex fragili & caduca efficitᷓ ſempiterna. Redeamus ad qđ cœpimus explicare ne nimis in longum contexatur oratio. Nam ille ſacerdotum antiſtes præ crudo ac continue inſurgenti dolore ſupplici uoce Diuũ Petrũ conuenit & conuentum his uerbis cõpellauit: Petre tu qui ſumme potes tu qui uerum Dei filium colis & ſemper ſuſpicis dolorem qui totũ me exagitat totum excruciat & ad extremũ detrudit a me abiice & ad tuũ quẽ credis eſſe Chriſtũ cũ omni credulitate cõfugiã. Quin etiam pars aliqua aſtantis populi in cæcitatẽ corruit & in cæcitate aliquandiu uixit: exceptis illis qui palma fuerant contacti. Maxima tunc creuit ſacerdotum antiſti credulitas & fides in priſtinã cõualeſcẽtiã redacto: ac ſacratiſſimo Virginis beatiſſimæ corpori ſummus fuit & ꝑcipuus attributus honor. Ad triduũ inde illud in cælũ aſſumptum eſt cum omnium angelorum commitatu/ cum ſanctorum omniũ feſtiuitate/cum ſyderũ omniũ quaſi applauſu/ tum maxime ipſius filii acceſſu. Quid creditis Chriſticolæ optimi? Terra præ lætitia fuit cõmota. Aequor ipſum hylare excitatũ. Aer clarior factus eſt. Aether pulchriorẽ aſumpſit faciẽ. Tota deniq; cæli machina ſupra modũ enituit. Non minus igitur humani debent ſenſus cõmoueri cũ ſæpe alias tũ maxime hac tẽpeſtate in qua mortales nimis laſciuiunt/in qua uelut Cacodæmones ad fidei pernitiem naſci uidentur. Cõtra quos ꝓ fide ſãctiſſima ſtare per q̃ fortiter & uſq; ad uitæ extremũ nulla ſalutis ratione habita unũquẽq; pugnare oporteret. Et quã hodie ueneramur/& quã pro cæloꝝ regina habemus & genitricẽ ſũmi & omnipotẽtis Dei credimus quũ ꝑ cõtinuas ſupplicationes & uoces ſupplices & orationes ſummo ardore cõſperſas tum ꝑ labores ꝑ uigilias per ſumma ac maxima & omnia ſtudia in noſtrũ ꝑſidiũ in noſtrum cõmune & maxime appetendum bonum nõ modo conciliatã retinere debeamus/uerum etiam retentam & conciliatam precari orare/& obſecrare nunq̃ ceſſemus.

FINIS.

Impreſſum Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus Anno Dñi. M. D. II. Die quinto Meñ. Septẽbris.